

L.

Caesar returns in safety (Caes., Bell. Gall., VI., 41).

Germani desperatā expugnatione castrorum, quod nostros iam constitisse in muntionibus videbant, cum eā praedā, quam in silvis deposuerant, trans Rhenum sese receperunt. Ac tantus fuit etiam post discessum hostium terror, ut ea nocte, cum Caius Volusenus missus cum equitatu ad castra venisset, fidem non faceret¹ adesse cum incolumi Caesarem exercitu. Sic omnino animos timor praeoccupaverat, ut paene alienatā mente deletis omnibus copiis equitatum se ex fuga recepisse dicerent neque incolumi exercitu² Germanos castra oppugnatos fuisse contenderent. Quem timorem Caesaris adventus sustulit.

¹gain credence. ²if the army were safe.

LI.

Ambiorix baffles pursuit (Caes., Bell. Gall., VI., 43).

Caesar rursus ad vexandos hostes profectus magno coacto numero ex finitimis civitatibus eos in omnes partes dimittit. Omnes vici atque omnia aedificia, quae quisque conspexerat, incendebantur; praeda ex omnibus locis agebatur; frumenta non solum a tanta multitudine iumentorum atque hominum consumebantur, sed etiam anni tempore atque imbribus procubuerant,¹ ut, si qui etiam in praesentia se occultassent, tamen his deducto exercitu rerum omnium inopiā pereundum videretur. Ac saepe in eum locum² ventum est tanto in omnes partes diviso³ equitatu, ut Ambiorigem circumspicerent captivi⁴ nec plane etiam abiisse ex conspectu contenderent, ut⁵ qui se summam ab Caesare gratiam inituros putarent, paene naturam studio vincerent, semperque paulum⁶ ad summam felicitatem⁷ defuisse videretur, atque ille latebris aut saltibus se eriperet et alias regiones partesque peteret non maiore equitum praesidio quam quattuor, quibus solis vitam suam committere audebat.

¹lodge (of corn). ²to such a pass. ³distribute. ⁴the men taken were looking about for A. ⁵so that. ⁶only a little. ⁷i.e., capturing A.